

mississent ad Jesum. Cum autem ad domum illarum restituendo in vitam fratri se contulisset, venientem amba exceperunt. Aliquando post, cum Jesus in suo Jerosolymam itinere ad absolvendum salutis nostrae opus in vicum Bethaniae ad hospitium Lazari, Marthae, & Mariae divertisset, tria illa sibi amicissima capita nactus est (i). Itaque altera est Maria soror Marthae à Magdalena, quae postrema mulier in comitatu erat Jesu Christi è Galilaea sive è Transjordanis venientis; cum interim altera Maria una cum fratre suo eundem Christum hospitio receperit.

V. Statim post prodigium restituti in vitam adolescentis Naim, Maria Magdalena comes Jesu Christo accessit (k). Inde Christus Jerosolymam concedens, hospitio receptus est apud Martham & Mariam [l]. Quam luculentum distinguendis duabus foeminis argumentum, haec è Galilaea in Bethaniam una cum Jesu venit, haec venientes hospitio recipit?

VI. Magdalena septem Dæmonibus reapse agebatur juxta Evangelistas (m), vel saltem in effrenis vitæ licentiam proruebat juxta Patres nonnullos (n). Scortationibus & impudice vitæ criminibus totam se dederat, si fides Veteribus quam plurimis, qui cum foemina criminosa Jesu Christi pedes in gubibus Simonis Pharisæi unguento perfundentem unam eandemque arbitrantur. Nihil tale de Maria sorore Marthae affirmandum est, nisi id prius certum statuatur, de quo maxime ambigitur, vitiosâ illâ argumentatione, qua principium petitur, invecâ.

Singularis mulieris assertores in ipso causae agende limine ponunt, Mariam Magdalene & Mariam sororem Lazari unam esse singularem foeminam, quod sibi certum jure quodam possessionis veterisque necio cujus traditionis vindicant. Ita semel persuasi, ad exponendum Scripturae textus se conferunt, fatisque se hac ratiocinatione pro causa obtinenda praestitisse confidunt. Quam sustinemus opinio Ecclesiae auctoritate fulcitur, nihilque habet in sacra Scriptura repugnans; tenenda est igitur, neque committendum, ut novis invecâs rebus vetus Ecclesia depositum corrumpatur. Hec illi commentantur, cum potius ita reputasse deberent. Trium harum mulierum singularitas nunquam satis exprimitur in Scriptura, recentius in Ecclesiam invecâ est, atque adversarios habet plures quâ veteres Patres, quâ sapientissimos Criticos; majori igitur indagine de illa disquirendum, & si forte in ea quaestione nunquam satis perspecta possit haberi veritas, nec certa satis & asserta promenda est sententia; quae sunt aequiora statuamus, veteribusque excussis è mente praedictis, debitam referamus veritati gloriam, ultro professi, sententiam illam quae tres foeminas distinguunt, potiorum habere apud Evangelistas causam fatentes, vel saltem à sententia ea de re nostra promenda abstineamus, donec pro singularitate majora & evidentiora ferantur argumenta, quam quae hucusque producta sunt.

Laudantur pro ista sententia Authores sanè multi, qui inter Mariam Magdalenam & Mariam sororem Lazari distinguunt. Verum sedulo distinguendum est inter Scriptores istos, aliosque qui tres Marias statuunt. Author Constitutionum Apostolicarum lib. 3. cap. 26. S. Irenaeus, Origenes, S. Macarius. S. Chrysostomus, Titus Boethrensis, Theophylactus, Euthymius, quos supra laudavimus, adversus singularitatem trium mulierum apertissimum ferunt testimonium, sed inter assertores trium foeminarum nunquam recensendi sunt. Distingunt illi tantummodo, nec immerito, foeminam criminiosam, quae pedes Jesu Christi oblinivit apud S. Lucam cap. 7. à Maria sorore Marthae, ad quam perfusio alia pertinet, tribus aliis Evangelistis memorata. Quare eorum Patrum testimonio perinde abuterentur, qui singularis mulieris assertores pro sua sententia illos adducerent, ac qui tres mulieres defendentes in suas partes pertraherent. Neque enim dictum ab illis statuendum est, quod nunquam dixisse convincuntur, neque aperte quaedam consecutiones ex eorum silentio deducendae sunt.

Græcorum Patrum non rari autamarunt, distinguere sedulo oportere inter tres illas perfusiones unguenti, alteram nempe, de qua S. Lucas 7. 37. aliam de qua S. Joannes 12. 1. 2. ac tertiam tandem S. Marco 14. 1. &c. & S. Mattheo 26. 1. 2. memoratam, ut tria illa facta ad tres distinctas mulieres pertineant. Confundendam alii censent, illam S. Lucae cum altera apud S. Joannem. At sententia istae ambae assertore ætate nostra carent. Tertullianus de Pudic. cap. 11. confundit historiam foeminae criminosae apud S. Lucam cum Maria sorore Lazari, quae praevenit unguere pedes Jesu in sepulturam. Hec ille: Peccatrici foemina contactum corporis permisit lavanti lacrymis pedes ejus, & crinibus detergenti, & unguento sepulturam ejus inauguranti. S. Augustinum de Confess. c. 79. confundisse quidem constat foeminam criminiosam cum Maria Lazari, at tamen Magdalenam ab illis distinxerit non satis intelligimus. Quin & tract. 49. in Jo; ambiguus versatur, num Maria soror Marthae eadem statuenda sit cum muliere illa criminosa, quae lacrymis rigatos Jesu Christi pedes comâ capitis detergit.

Confundunt Mariam Magdalene cum foemina criminosa S. Bernardus Ser. 22. in Cant. Nicolaus Clarevallensis (o), Godefridus Vestensis Abbas serm. 9. S. Petrus Damiani Epist. 12. ad Desiderium Petrus Abbas Cellensis serm. 5. de S. Mar. Mag. S. Thomas 1. par. q. 21. art. 4. ad 1. S. Bonaventuras (p). Foeminam criminiosam unam eandemque cum Maria sorore Lazari arbitrantur S. Petrus Chrysologus serm. 93. Eusebius Emiffenus [q], Paschasius, Radbertus in Matth. lib. 12. Alcuinus (r), Franco Abbas Vindocinensis lib. de grat. Dei, Rupertus Abbas de Oper. Spir. S. serm. in hac can. 28. S. Norbertus (s), Lyranus in Matth. aliique plures. Porro universi hi Scriptores singularitatis adversarios se pro-

o Nicolaus Clarev. Serm. de Maria Magdal. inter opera D. Bernardi. p Bonavent. Compend. Theolog. de gratia sanctificante l. 5. c. 19. q Euseb. Emiffen. seu alius homil. infer. 5. post Dominicam Passionem Alcuin. in illud Joan. Jesus ergo ante sex dies. s S. Norber. serm. in hac verba: Beati Matth. aliique plures. Porro universi hi qui audiunt Scriptores singularitatis adversarios se pro-

Joan. 12. 1. 2. 3.
k Luc. 7. & 8. 2. 3. &c.
l Luc. 10. 38.
m Luc. 7. 22. Marc. 16. 9. n Gregor. Mag. homil. 23. in Luc. 7. Beda 3. alii.

fitentur, sed non eadem omnes ratione, & si ex eorum turba se regerentur, quicumque tres distinctas mulieres defendunt, eorum sanè numerus minimus erit, quam pro reliqua multitudine.

Sed agendum impraesentia non suffragiorum multitudine, sed momentorum pondere ac ratione, ejusque, quam agitamur, litis sententia, non aliunde, quam ex Evangelio petenda est. Est autem Evangelistarum textus æquior pro iis, qui duas vel tres defendunt, quam qui omnes confundunt in unam. Patres, quorum testimonia pro variis hinc sententiis afferuntur, quod extenuando petito ex illis argumento plurimum valet, minus ipsi quoque secum constare minusque exactè loqui deprehenduntur. Ad hæc, Opera, unde testimonia petuntur, non ideo scripta sunt, ut argumentum illud discuterent; testimonia sunt enim interdum nulla inter se colligatione innexa, & è concionibus ad populum vel aliis hujus generis. Lucubrationibus deducta, in quibus minus exactè loqui Authores constat, quam in operibus de argumento scriptis.

Quoad censuram Facultatis Parisiensis, quam singularis mulieris patroni ingerunt post minus exactam causæ cognitionem pronunciatam illam defendimus. Jacobus Faber Stapulensis rerum novarum quæ turbas eo tempore intra Regnum & extra ciebant, cupidus & fautor habebatur, S. Gregorii Pape auctoritatem elevabat, quare Facultas sententiam tantum Fabri censurâ notavit, tanquam S. Pontificis auctoritati averfam, quam scilicet auctoritatem & sententiam Facultas arbitrabatur Evangelio Christi & Ecclesia Catholica vitui consentaneam. Damnavit itaque Fabrum; sed causam reliquit intactam. Ponit tanquam certum, quod maxime est in quaestione, ac deinde Fabrum postulat, quod plures esse foeminas adversus exploratam S. Gregorii sententiam defendat. Plures post ea tempora Doctores Sorbonici scripserunt pro asserenda trium mulierum distinctione, quam hodie apud viros doctos obtinere, asserere non dubitamus.

i Tertull. de Praescript. Hieron. in Joann. 1. c. 14. k Apocal. 1. 9. Hieron. in Matth. Tertull. Praescript. l Euseb. l. 3. Hist. Eccles. c. 1. m Iren. l. 3. c. 1. & 11. Epiph. pan. hær. 51. Vidor. Petavienf. in Apoc. Auth. qual. V. & N. T. q. 72. Syr. Perf. Co. pbr. in sine E. vangel. Joan. & Theophyl. Prolog. n Alban. in Synops. Arab. Oper. Imperf. homil. 1. Hyp. poly. MS. in Biblioth. Bodl. Doroth. Theophyl. Euthyeb. MSS. plures apud Mill. not. in c. 21. post ver. 25. Suidas. o Ita MSS. plures. ad calcem Evangel. Jo. vide Mill. post cap. 21. Jo. Ita Theophyl. laq. p Clemens Alexand. apud Euseb. l. 6. c. 14. Hist. Eccl. Hieron. de Vir. Illust. & Prolog. in Matth.

IN EVANGELIUM S. JOANNIS PROLEGOMENON.

a Chrysof. in Jo. hom. 17. Epiph. hær. 51. b Marc. 3. 17. c Luc. 9. 54. d Hieron. in Joann. l. 1. c. 24. & Epist. 1. & Paulin. Epist. 386. e Epiph. hær. ref. 58. Ambros. de Symb. c. 30. Chrysof. de Virgin. c. 81. Paulin. Epist. 4. f Joan. 19. 26. 27. h Vide Aug. quæst. Evang. l. 2. c. 39. h Hieron. de Viris Illust. c. 9. Tertull. contra Marcion. l. 4. c. 5.

Joannes Evangelista è Bethsaida Galilææ oriundus, parentes habuit Zebedæum & Salome. Piscatoriam exercebat, nec desunt (a), quorum tamen fides incerta est, qui S. Joanni Baptistæ adhaesisse Discipulum, antequam à Christo vocaretur, autamarint. Ipse cum fratre Jacobo Majori à Jesu Christo cognomento appellati sunt *Bonærges*, vel filii Tonitru (b), tum quod facile ardentiori essent zelo, cum etiam quod Jesum semel rogant, ut sibi deducendi è Cælo ignis in Urbes quasdam S. mariae, unde exclusi fuerant, potestatem concederet (c). Junior omnium accessisse creditur ad Apostolatam, cum scilicet ætatem ageret 25. vel 26. annorum circiter (d). Ceterum duxisse vitam, Patrum traditione receptam est (e). Ejus quo in illum singularis amoris Jesus tenebatur, non levia dedit spemina, in eo maxime quod è supplicio penam ejus tutelæ Virginem matrem reliquit (f). Unicus inter Apostolos divinum præceptorem in passione pariter & morte deferendum non sustinuit. Ferunt Evangelium annunciasse Parthis (g), atque majorem Asiæ minoris Ecclesiarum partem fundasse pariter & rexisse (h). Ephesi diutius mansit, quod pariter illum secutas dicunt Virginem parentem cum Maria

Magdalene. Rerum potito Domitiano Romanam deductus ferventis olei dolium intusus subivit (i). Exul deinde relegatus est in Insulam Pathmos, ubi & Apocalypsim (k), & juxta aliquos Evangelium suum scripsit; Ephesum postliminio regressus, diem ibi clausit extremam (l). Affectâ jam ætate Evangelium scripsisse satis convenit de anno tamen & loco non constat. Sunt qui Ephesi post solum exilium scriptum autamarint (m); sunt qui maluerint in Insula Pathmos (n). Est autem Pathmos una ex Sporadibus in mari Egæo. M. SS. Græca sanè multa ferunt, scriptum opus 32. annis post Ascensionem Christi (o); alia legunt post 30. alia post 31. (p); alia epocham constituent alii sub Imperio Domitiani, quidam sub Trajano. Ea in re non satis quidem inter nostros Chronologos convenit; plerique tamen consentiunt ad Evangelium scriptum solum exilium circa annum 98. J. C. Trajani primum, ab Ascensione 65. & ætatis S. Joannis 95. In eum potissimum finem laborem hunc suscepisse Apostolum tradunt Veteres (p), quod scilicet hæreses subvertentes Cerinthi, Ebionisque Verbi Divinitatem negantes vinceret. Nec abs re credimus, voluisse pariter Apostolum Judæos incredulitatis arguere, sicut & obstruere Philosophorum,

rum, qua Platoniorum, qua Stoicorum. Etenim illorum dogmata, & errores numquam non sternit in Evangelio, ac potissimum in priori Operis illius capite, quo sublimissimum Ecclesie Catholice dogmatum summam complectitur.

Abhorret animo licet a scribendo, rogantibus tamen atque instantibus Discipulis, tandem persuasus est, accedentibus maxime obsecrationibus Episcoporum, & Ecclesiarum, & quod caput est, intimo Sancti Spiritus illapsu, quo ad suscipiendum impigre laborem urgebatur (g). Nec tamen prius tantum opus aggressus est, quam post lecta, discussa, laudata, & probata trium precedentium Evangelistarum scripta (r). Susceptumque consilium supplendi, quod ab illis prætermisum deprehenderat, ea potissimum, quæ ad doctrinam Magistrum, ac mysteria Incarnationis, & Divinitatis ipsius pertinent. Norat enim alios historiam potius dedisse prodigiorum Jesu Christi, quam secreta ejus arcana revelasse; eo facile consilio, quod nondum capere fideles tantas res potuisse intelligerent.

Quidquid sit, non prius ad scribendum se contulit Apostolus, quam post Divinam opem jejunitis publicisque institutis precibus implorata. Post altam Divinarum rerum contemplationem, in ipso adhuc colloquio cum Domino calore, prima Evangelii sui verba pronuntiavit (s). Nec desunt, qui inter fulgura, & tonitrua emissa verba illa asseverent (t); cujus rei asserendæ facile in causa fuisse poterant, Patrum quorundam phrasas (u), qui ad nomina Boanerges seu filiorum tonitru, Joanni eiusque fratri à Jesu Christo tributa spectantes, nominis illius veritatem, tum maxime impletam fuisse dicunt, quando Evangelii sui exordium effudit; quod perinde habendum est, quasi ex alta quadam nube reboans tonitru, sed fulgore quodam serenitatis plenum, cujus luminis beneficio S. Joanni secreta in ipso Patris sinu patuerint. Testatur S. Gregorius Turonensis de Glor. MM. cap. 30. ætate suâ adhuc spectari in ipso montis non longe ab Epheso cacumine locum, ubi scriptum à S. Joanne Evangelium traditione receptum tenetur. Locus erat subdio parietum septo clausum, quem impluvium toto eo tempore mansisse ferunt, quo Apostolus scribendo Evangelio subsistit, & tunc etiam eundem ipsum locum imbres revereri apud incolas ferebatur.

Autumarunt de Veteribus nonnulli (x), Caso, olim discipulo S. Pauli Amanuense S. Joannem usum; nec facile alter erat Casus iste ab illo, ad quem tertia S. Joannis Epistola data legitur. Tradunt alii (y) inscriptum ab eodem Apostolo opus Papie Episcopo Jerapolitano, tamquam supplementum, & expositionem eorum, quæ viva voce ipsum discipulum suum docuerat. Inter tot incerta, illud tamen certo constat, stilum ejus Evangelii cum tribus Epistolis S. Joannis congruere; congruere, inquam, non in phrasibus tantum, & eodem spiritus S. Joannis caractere; sed etiam in

doctrina, sententiis, & quod mirari subit, ipsæ utrinque voces occurrunt. Variat quidem Apocalypsis stilus, quod suo loco discutiemus.

S. Dionysius Alexandrinus apud Eusebium l. 7. cap. 25. elegantiam, & purioris eloquii cultum quemdam in eodem Evangelio observat; cultum nimirum non in selectione tantum, & collocatione verborum, sed etiam in syntaxi, & argumenti connexionem. Nihil, ait, in eo Opere barbaricum horret, ut collatum à Deo Sanctissimo Autori, non luminis tantum, & scientiæ, sed etiam eloquii donum esse videatur.

In eo tamen quod ad eloquentiam & gratiam dicendi pertinet, excessisse in laudibus S. Dionysium Alexandrinum Critici Recentiores autumant (z). Non est quidem suâ laude Author fraudandus, si rerum granditas, & eloquii identidem majestas spectetur; sed recidit etiam non raro in stilum humilem & pedestrem. Nonnulla interdum occurrunt ad genium linguæ Syriacæ seu Hebraicæ; repetitæ quandoque sententiæ, & phrasæ quadam delicatam Græcæ linguæ gustum non sapiunt. Porro humanioribus literis rudem fuisse Evangelistam, nulloque excultum artificialis eloquii & rhetoricæ studio, quod sine ejus injuria dictum volo, constat inter omnes (a). Is qualicumque fuerit defectus reparatur abundè scientiæ divinitus acquisitæ lumine. Mysteriorum profunditate, rerum excellentiâ, soliditate conceptuum, atque doctrinæ utilitate. Eum virum selegit, sibi que comparavit Spiritus S. qui planè Spiritus Philosophis omnibus, & Rhetoricis plurimum præstat. Lumen est, quo mens illustratur, & ignis, quo corda flammescunt; sine artis, & eloquentiæ ope instruit, revincit, persuadet.

Pedestri licet, & simplici stilo scriptum Evangelium illud, Virorum insignium, & sapientissimorum elogio promeruit. Si Evangelia veluti primitivæ, & selecta Sacramentorum portio censenda sunt; ait Origenes (b); profectò S. Joannis Evangelium ipsa est Evangeliorum, & totius Novi Testamenti selectissima portio. Nemo sanè potuit profunditatem ejus scripti attingere, nisi qui super ipsum Jesu Christi pedes, velut Sanctus hic Evangelista quiescat, Sigillum est, ait idem Pater, quo cæterorum Evangelia obfignantur, columna, quam fulcienda regendaque Ecclesie suæ Deus constituit. Jure proinde meritoque apud Patres Evangelista Joannes aquila comparatus est (c), quippe qui ad Thronum usque Dei volando perveniat. Tot claudit mysteria quot sententiis (d).

Platonicum quendam dicere solitum fuisse referunt, ea, quæ de Majestate Verbi in eodem Evangelio narrantur, aureis literis exaranda fuisse in superliminaribus Templorum, quod ab omnibus legerentur (e). Amelius, alter Platonicus ad tertium seculum pertinens, dicebat, S. Joannem barbarum licet, cum de Verbo ageret, hanc protulisse sententiâ, nimirum per Verbum ipsum, quod æternum fuisset, omnia extitisse

q Epiph. hares. 51. c. 12.

r Vide Euseb. l. 3. c. 4. hist. Eccles. Hieron. de Viris Illustr. Clemen. Alexand. apud Euseb. l. 6. c. 14. Hist. Eccles. Epiph. hares. 51. Theodor. Mopsues. in Catena Gr. Anonym. in eadem Catena.

s Vide Hieron. Prolog. in Matth. Chrysos. homil. 67. tom. 6.

t Vide Bar. init. Annal. cap. 99.

u Paulin. Ep. 24. p. 213. Epiph. hares. 73. c. 7. Vide Aug. serm. 135. c. 8.

x Alban. in Synops. Dorothaus, & Codex MS. Seld. y Anonym. in Cathe. Gr. Prolog.

z Vide Grot. Prolog. in Joannem.

a Theophyl. lall. Prolog. in Jo. Grot. alii.

b Origen. Prefat. in Joann. ex Edit. Gr. Lat. Huet. Vide & Iren. l. 3. c. 1. Epiph. hares. 30. c. 6.

c Vide Paulin. in Epist. 24. August. tract. 36. in Joann. alii passim. d Ambros. de Sacram. l. 3. c. 2. e August. l. 10. de Civit. c. 19. ex Simpli. Mediolan. Epist.

se; principium fuisse omnium rerum; Deum habendum, in eo vivere, & subsistere, quæcumque universum replebant omnia; carnem verd assumpsisse, nec tamen Divinam deposuisse naturam; ad Deum postea receptum, apud quem pristinas, antequam in terram venisset, sedes obtinuerit (f). Tandem plures alii Philosophorum cælestem viri sapientiam admirati sunt, nec sibi dixerunt probro, si ex eo Opere plura in sua derivarent scripta, ex eo scilicet Opere ejus Author vir nequam & barbarus ab iis habebatur, qui studio saltem humanarum scientiarum nullo excoleretur.

f Vide Euseb. Prepar. l. 11. c. 19. Cyrillus Alex. in Julian. l. 8.

* Vide qua contulimus in comment. ad cap. 1. Jo.

g Vide Chron. Alex. & MS. fragment. de Paschate apud Petav. & Ufer.

h Epiph. hares. 51. August. hares. 30.

eset, sed in referendis etiam sermonibus Jesu Christi diverso Author utatur. Quis porò credat, Jesum aded vario dicendi genere verba sua exponi voluisse, apud S. Mattheum exempli gratia, & S. Joannem? Apud posteriorem hunc Evangelistam prolixior est oratio, repetitis interdum sententiis morosa, & ratiocinationibus, quarum vix nulla apparet connectio, desultoria: eloquio utitur conciso, sententioso, aperto & serè nunquam non parabolico. Apud alios Evangelistas Jesus frequentissime utitur eo exordio: Amen dico vobis; apud S. Joannem verd Amen in-gematur: Amen, Amen dico vobis.

Sed hæc levia sunt & nullius ponderis. Solemne est sacris Evangelistis, ut peculiarem singuli stilum in suis Operibus præferant; regionis & aviti sermonis tenent indolem, & cum alterius dicta narranda suscipiant, ita planè historiam suam ducunt, ut citra veritatis dispendium, Scriptoris ingenio stiloque serviant. Diurno id novimus experimento, tum in familiaribus colloquiis, cum in lectione Librorum. Eadem historia, apud varios lecta, variat, quamquam utrinque sit eademque veritas. Epistole Romani Senatus, & Spartarum, in Libris Maccabæorum relate, ingenium servant Hebræorum, alterum planè ab indole Græci Romanique eloquii. Conferat, si quis vult, Evangelistas inter se, non in historia tantum, sed etiam in concionibus, quas à Jesu Christo factas narrant, & nihil simile inveniet in stilo & in ordine aque usu verborum. Ad hæc S. Joannes Opus suum eo consilio suscepit, ut omnia à cæteris Evangelistis suppleret; quare suarum esse partium duxit, ut omissis à cæteris Jesu Christi sermones, & quemadmodum ab illo effusi sunt, referret. Accedit insuper rerum, de quibus loquendum suscipit, indoles, quæ sanè aliam exigebat, à rebus per cæteros Evangelistas relate, stilum. Sublimissima enim nostræ veritatis mysteria revelat S. Joannes; & quæ ab ipso traduntur dogmata, veritates sunt, quas speculativas tantum jure meritoque dicemus. Moralia potius dogmata, prodigia, & practicas quædam veritates affectant reliqui Evangeliste. Naturam autem rerum stilus imitatur.

Postremum Evangelii hujus caput alienâ manu adjectum autumavit Grotius in Joan. 20. 30. 31. nec alienum à verò censet, Opus esse illud Ecclesie Ephesinæ, quæ palam omnibus fieri voluit, quanta præstantia esset fides sparso inter Fideles rumori, nimirum S. Joannem nequaquam morte perimendum. Duo sanè versus capit. 20. epilogos videri possent totius Evangelii: Multa quidem & alia signa fecit Jesus in conspectu Discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in Libro hoc. Hæc autem scripta sunt, ut credatis, quia Jesus est Christus Filius Dei, & credentes vitam habeatis in nomine ejus. Alii verd (i) duos tantum versus c. 21. alienâ manu adjectos consentiunt; talis enim instituitur in illis narratio, ut aliquem potius ex Discipulis S. Joannis, quam ipsum Apostolum de-

ceat. T

Suspicionem alii in Evangelii illius veritatem moverunt, quod stilo planè à cæteris Evangelistis, non in narratione tantum historia, quod in re præfenti nihil Dissert. Calmet Tom. 11.

i Hammon. d. Le Clerc.